



# DISSE R T A T I O P R Ä L I M I N A R I S.

---

---

DE FONTIBUS , SEU LOCIS MORALIS  
CHRISTIANÆ.

Theologia , si græcam vocem in latinas vertimus , ratio est , sermoque de Deo. Dividitur in Theologiam speculativam , & practicam. Etenim cum versetur circa Dogmata fidei , & morum , duo genera quæstionum complectitur , alterum cognitionis , quarum nempe finis , faltem *immediatus* , est cognitio , seu scientia : alterum *actionis* , quarum finis etiam *immediatus* est opus , seu morum informatio. Hæc disciplina cum moribus ad veram , solidamque felicitatem componendis tota quanta sit deputata , *Moralis* nuncupari confuevit. *Mores* hoc

in loco intelligimus *actiones humanas*, quæ consult.  
& deliberate fiunt. \*

Ex his primum erit coniudicare istius disciplinæ finem, objectum, atque officium. *Finis* ejus, ut vocatur, extrinsecus est hominem dirigere ad consequendam felicitatem numeris omnibus absolutam, quæ summi boni possessionem complectitur. *Objectum* illius sunt actiones humanæ, nec non honestas, & rectitudo, in has operationes inducenda. Hæc honestas vocatur quoque finis illius intrinsecus. *Offi-*  
*cium-*

\* Circa easdem actiones humanas rite ordinandas versantur Jurisprudentia naturalis, Ethica, & Theologia moralis, diverso tamen modo. Jurisprudentia illas considerat ut *justas*: Ethica ut *honestas*: Theologia moralis tantum bonas, vel malas *moraliter*, easque dirigit ut *pias*. Jurisprudentia naturalis versatur circa hominis officia erga Deum &c. ut *formaliter justa*, atque exerceri debita. Ethica omnem *honesti*, atque *inhonesti* ideam ex naturalis rationis dictamine deducit: pro fine felicitatem respicit naturalem, conclusam praesentis *vitæ* ambitu, & suis placitis format hominem. Theologia moralis Christianum instituit suis preceptionibus, istasque haurit ex doctrina divinitus revelata. Ast cum persuasione nostra certissima unus idemque Deus, & Pater luminum sit, qui nobis & rationem in-

didit, & Religionem manifestavit, sequitur, quod earum scientiarum nulla alteram penitus excludere, aut elidere, sed potius suo modo mutuam sibi operam praestare debeant. Iniquæ proin sunt nonnullorum præsertim Protestantium querimoniae adversus Doctores ecclesiasticos, & scholarum nostrarum Theologos, quod scilicet hi in *Moralibus* pertractandis temere permiscuerint naturalem Jurisprudentiam. Ethicamque cum revelatis disciplinis, & confusionem induxerint officiorum, quæ hominis sunt, & quæ *Christiani*. His querimonis non terreatur orthodoxi Tractatores seu Ethices, seu Theologiae moralis, sed intrepide teneant præmonstratam a Tertulliano, Ambrofio, Augustino, aliisque Ecclesiæ luminaribus, tum docendi, tum scribendi rationem, quæ vere decet Christianos sapientes.

ciūm demum , seu mūnus est certis quibusdam præceptionibus humanas actiones regere , & ad virtutem accommodare , quo scilicet evadere possunt legitimū medium assequendi summum bonum.

Præceptiones istas , quibus actiones humanæ ad assequendum prædictum finem diriguntur , subministrant auctoritas , & ratio : omne enim argumentum vel a ratione , vel ab auctoritate dicitur. His duobus modis cujusque rei , quæ in controversiam venit , affensionem facimus. Cum vero in reliquis disciplinis omnibus primum locum ratio teneat , postremum auctoritas , Theologia est sola , in qua non tam rationis in disputando , quam auctoritatis momenta quærenda sunt. Etenim locum ab auctoritate adeo sibi proprium vendicat , ut rationes vel tanquam hospites , & peregrinas excipiat , vel in suum etiam obsequium asciscat quasi longe repetitas. Nequeunt quippe alia fundamenta ponи præter ea , quæ sunt posita , Apostolorum , & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Unde recte docet D. Thomas i. p. q. i. a. 8. ad 2. quod argumentari ex auctoritate fit maxime proprium hujus doctrinæ , cum illius principia per revelationem habeantur. Et sic oportet , quod credatur auctoritati eorum , quibus revelatio facta est. Nec hoc derogat dignitati ipsius , nam licet locus ab auctoritate , qui fundatur super ratione , sit infirmissimus , locus tamen ab auctoritate , qui fundatur super revelatione divina , est efficacissimus. Revelationem divinam , cui præcipue

6

---

innititur Moralis Christiana , habemus in Scripturis  
sacris , & Traditionibus , ita , ut Scriptura sacra sit  
primus illius locus , seu fons . Omnis enim Scriptu-  
ra juxta Apostolum 2. ad Timoth. utilis est ad do-  
cendum -- & erudiendum in justitia , ut perfectus  
sit homo Dei ad omne opus bonum instructus .

Sunt etenim officia Moralis Christianæ juris , vel  
naturalis , vel supernaturalis . Hæc nativam rationis  
vim omnino transcendunt : in illis autem humana ra-  
tio sine divina revelatione sœpe cœcutit , ut homo  
nec facile , nec semper absque tali lumine adverte-  
re possit , an , dum in moralibus practice agit , diri-  
gatur a solo recto rationis dictamine absque eo , quod  
admisceatur aliqua amoris proprii , vel alterius pas-  
sionis deceptio . Ut ergo id discernatur , requiritur  
Scriptura divinitus inspirata , quæ necessarias præce-  
ptiones præscribit .

Secundus Moralis Christianæ locus est Verbum  
Dei non scriptum , seu Traditio divina non per pri-  
vatos auctores proposita , sed non interrupta Pasto-  
rum successione ad nos transmissa . Triplicis generis  
dantur Traditiones , *divinæ* scilicet , quæ a Christo  
derivantur : *apostolicæ* , quæ ab Apostolis ortum du-  
cunt : nonnulla enim Apostoli , ut Ecclesiæ Pastores ,  
instituerunt : *ecclesiasticæ* , quæ auctores habent Apo-  
stolorum successores . Vera nota , seu argumentum  
Traditionis divinæ , seu divino - apostolicæ est , quod  
*eius initium non inveniatur in Conciliorum Canonibus* ,  
neque

7

neque in Patrum Statutis , semper tamen . Et ubique , atque ab omnibus servatum sit . Divina Traditio est vera regula in rebus fidei , & morum , atque ut talis necessario agnoscenda . Sic I. ad Thessal . 2. State , Et tenete Traditiones , quas didicistis , sive per sermonem , sive per epistolam nostram . Et hoc observatum etiam fuit in lege Moysis , ut Jerem . 6. v. 6. Interrogate de semitis antiquis , quæ sit via bona . Imo & ab initio de hoc Moyses populum admonuit : Deuter . 32. v. 7. Interroga Patrem tuum , Et annuntiabit tibi . \*

Tertius locus Theologicus est judicium , consensus , & auctoritas Ecclesiæ , quæ est cœtus fidelium hominum , unius , atque ejusdem Christianæ fidei professione , atque eorumdem Sacramentorum communione conjunctus sub regimine legitimorum Pastorum , ac præcipue Rom . Pontificis , visibilis totius Ecclesiæ capitii . Ecclesiæ auctoritas in definiendis morum controversiis est infallibilis , ut nec fallere , nec falli possit . Hinc Ecclesia ab Apostolo I. Timoth . 3. dicitur columna , & firmamentum veritatis . Hanc infallibilitatem pollicitus est suæ Ecclesiæ

)( 4

Chri-

\* Ex tribus Traditionum speciebus quædam pertinent ad catholicam fidem , veluti quatuor esse Evangelia canonica , eaque sola : quædam ad mores , veluti confessio sacramentalis Eucharistiæ sumptioni præmittenda juxta illud I. Cor . 2. Probet autem se ip-

sum homo , & sic de pane illo edat . &c. Hanc probationem per confessionem esse faciendam *consuetudo ecclesiastica* declarat : demam quædam ad disciplinam , veluti certi quidam ritus , ac ceremoniæ externæ in Sacramentorum usu .

Christus Dominus. *Matth. 16. v. 18.* & ult. v. 20. ubi  
ait, se nunquam ei defuturum. Et *Ioann. 14.* ubi  
alloquens Apostolos testatus est, ad ipsos se missu-  
rum alium Paraclitum, spiritum veritatis, perpetuo  
in Ecclesia mansurum, qui eos, ipsorumque succe-  
sores doceret omnem veritatem, quam ipse eis re-  
velaverat.

Quartum Moralis Christianæ fontem constituit au-  
toritas Conciliorum, præsertim generalium. Con-  
cilia aliud non sunt, nisi Ecclesiæ Præsulum conven-  
tus, ut de rebus ad Ecclesiam spectantibus agant.  
Alia sunt generalia, seu oecumenica, ad quæ con-  
gregantur totius Ecclesiæ Episcopi. Alia nationalia,  
ad quæ conveniunt unius regni, aut nationis Præ-  
fules. Alia provincialia, in quibus sub Metropolita-  
no reperiuntur unius Provinciæ Episcopi. Alia Diœ-  
cesana, in quibus sunt sub Episcopo totius Diœcesis  
Presbyteri. In quæstionibus morum definiendis præ-  
cipue consulenda sunt concilia generalia. Hæc cum  
sint universalis Ecclesiæ consensu recepta, divinam  
nobis revelationem exhibent, atque universalem Ec-  
clesiam repræsentant, neque errare valent, cum a  
Spiritu sancto dirigantur. Unde Apostoli in Conci-  
lio Jerosolymitano congregati ajunt *Ad. 15. v. 18.*  
*Vixum est Spiritui sancto, & nobis.* Hinc quoque semper  
Conciliis generalibus ea habita est reverentia, quæ  
ipsi divino Verbo exhibetur, ut patet exemplis ip-  
sus nascentis Ecclesiæ ad hæc usque tempora. Con-  
cilia

—

9

Concilia quoque particularia si universim recipiantur, eandem habent vim ac generalia. Etsi vero eis totius Ecclesiæ consensus defit, gravis tamen momenti est earundem judicium, atque auctoritas. Proponunt enim judicium Episcoporum, qui propositam quæstionem examinaverunt, non obiter, sed attente, quilibet antiquam suæ Ecclesiæ exhibendo Traditionem. Igitur ejusmodi judicium in morali valde æstimandum est. Praxis quoque Ecclesiæ graviter sententiam confirmat. Nam illa fuit semper Ecclesiæ consuetudo, ut saepe celebrarentur Concilia particularia, quæ vel essent dispositiones ad generalia, aut præteriti Concilii generalis executiones, sicut plurima in historia ecclesiastica exhibentur exempla.

Quintus Ethicæ Christianæ fons, seu locus est summi Pontificis de aliqua morali controversia solemne judicium. Et hoc comprobatur ex divina Scriptura. *Ioann. 21. v. 15. Pasce oves meas.* Et sic alibi. Ex Scriptura igitur Romanus Pontifex, ut legitimus Petri successor in dubiis circa fidem, & mores nos instruere debet. Hoc patet etiam ex perpetua praxi Ecclesiæ, quæ quovis sæculo assueta fuit in dubiis fidei, & morum iudicium summi Pontificis exquirere, & reverenter excipere, ut passim habetur in ecclesia ica historia.

Sextus fons, seu locus Christianæ moralis est iudicium Episcoporum, præsertim quando plures in idem consentiunt. Hoc ex SS. Scriptura comproba-

tur. Etenim in veteri lege quando dubium aliquod circa res ad Religionem spectantes Judæis oriebatur, ad Sacerdotes mittebantur. *Deuter. 17. v. 9.* Juxta novam legem Episcopi sunt jure divino Rectores Ecclesiarum, Patres, & populorum Doctores, quos Spiritus sanctus *Act. 20. v. 18.* posuit regere Ecclesiam Dei. Igitur in moralibus etiam Episcoporum judicium est consulendum atque exquirendum.

Septimus moralis Christianæ fons est Patrum auctoritas, quæ major, vel minor est, quatenus plures, vel pauciores in idem consentiunt, aliis non contradicentibus. Patres sunt ii, quos Deus juxta Apost. I. Cor. 12. v. 28. posuit in Ecclesia tanquam Doctores: quocirca eorum doctrina in moralibus reverenter amplectenda est. Patres insuper habentur ii, qui tum ob eminentem scientiam, tum ob insignem sanctitatem, tum ob venerandam antiquitatem censentur Traditionum sacrarum custodes. Igitur sicuti quando omnes sunt concordes, irrefragabilem faciunt auctoritatem, ita dum plures in idem Dogma convenient, auctoritatem habent non spernendam, sed summopere venerandam. Hinc in moralibus consulendi præcipue sunt Patres illi, qui materiam aliquam speciali studio pertractarunt.

Octavus Ethicæ Christianæ fons est Theologorum auctoritas, non tamen eorum, qui ex sola ratione, sed eorum, qui præcipue ex divina revelatione, ex Ecclesiæ, Pontificum, Patrumque oraculis doctrinam

nam morum hauserunt. Ex his peti possunt argumenta ad fidem, moresque spectantia, quos Ecclesia ipsa consulit, ubi de fide, moribusque agitur. Auctoritas eorum, si in morali quodam dogmate adserendo simul conspirant aut universi, aut plerique insigniores, valde gravis aut ferme decretoria existit, quia tunc plus, quam probabile exhibent iudicium, sic ferre ecclesiastica Traditionem juxta regulam Tertulliani lib. de *Præscript.* quod apud omnes unum est, non est erratum, sed traditum. Nec tamen inde laudandi veniunt illi, qui volentes doctrinis suis moralibus probabilitatem extrinsecam, quantum possunt, conciliare, magna cura Theologias scribunt, & undeaque possunt, fautores colligunt, non tam qualitatem, quam numerum Auctorum attendendo, quasi non meritis pensandi forent ecclesiastici Theologi, sed solum digitis numerandi. Ex quo fit, ut numerosum manipulum jam naucti passim postea in suis thesibus nominant opinionem aut *communem*, aut *communiorem*, cum tamen si auctorum suffragiorum numerus exigatur ad theologicam computandi rationem, opiniones illæ adserendæ sint. \* Et sic fervari in Rota Romana

---

\* In Theologia morali pertractantur plura, de quibus, cum sint certis defituta argumentis, probabilem, aut verisimiliorum tantum habemus opinionem, & certitudinem nullam. Nil ergo mirum, si circa talia plures, ex que diversæ dentur Theologorum opiniones. Olim jam in nonnullis Patres Patribus adversati sunt. Nota est celebris inter

na testatur Fagnanus n. 347. hæc scribens. *Rota communem opinionem non sequitur, quando appareat contrariam esse veriorem. & validioribus subnixam rationibus.*

Magni item habendum est doctrinale iudicium SS. Theologiæ facultatum, seu Academiarum, seu Universitatum, ac earum præsertim, quæ per orbem totum sunt in majori æstimatione.

Pro nono Ethicæ christianæ loco serviant Jus canonum, & civile, nec non Statuta Principum. Per jus canonum significantur leges ecclesiasticæ ad divinum cultum, & ad supernaturalem finem ordinatæ. Jus canonum aliud est scriptum, quod in *corpore* contentum solet proprie jus canonum nuncupari. Solent quippe Legislatores plerumque suas Leges per scripturam promulgare. Corpus ergo Juris canonici est collectio Canonum illorum, seu regularum, quibus Christiani diriguntur vel ad divinum cultum exercendum, vel ad supernaturalem ipsorum finem assequendum. Porro ipsummet hoc Jus eum coalesceat ex diversis SS. Scripturæ textibus, ex variis SS. Patrum sententiis, Conciliorum canonibus, ac SS. Pontificum Decretis, hinc totum suum robur mutuatur ex locis, quibus consti-

inter S. Augustinum, & S. Hieronymum controversia circa quæstionem, utrum post Christi mortem Lex vetus non tantum fuerit *morta*, sed simul evaluerit *mortifera*. Si tanta contentiones exarserint

inter SS. Patres, quis eas via vertat Theologis. Per amicabiles, & prudentes ejusmodi concertationes magis elucidatur nonnunquam quæstio.

constituitur. Quare qui illo uti voluerit ad casuum moralium decisionem, attendat, quid excipiat ex eo, num textum Scripturæ, aut Patrum auctoritatem &c. &c. \*

Jus non scriptum, seu consuetudo est jus quoddam moribus, seu ex longo, & communi, aut fere communii usu institutum, quod pro lege suscipitur. Magna est vis consuetudinis, si laudabilis sit, & rationabili causa introducta, longo usu, Pastorum Ecclesiæ consensu, vel saltem his scientibus invaluit,

ut

\* Qui uti voluerit sacris Canonibus ad resolvendos conscientiæ casus, profecto opus est, ut prius plane dignoscatur, quinam sint canones fidei, quinam morum, quinam disciplinæ, tandem quenam regulæ canonico-civiles. Canones fidel invariabiles sunt, cum invariabilis sit fides, quam explicant. Canones quoque morum sunt invariabiles, quia tam præcepta Decalogi, quam præcepta evangelica, quæ per illos explicantur, sunt invariabilia. Præcepta enim Decalogi præcipiunt id, quod est intrinsece bonum, & prohibent, quod est ab intrinseco malum: Legi vero evangelicæ non debet alia lex divina succedere. Canones disciplinæ variabiles sunt, eo ferme pacto, quo variabilis est sacerularis Politia pro diversitate loci, temporis, vel personarum. Regulæ autem canonico-civiles non plus habent firmitatis, quam leges civiles,

utpote quæ non alio fine constiuntur, nisi ut ius civile in suo robore permaneat. Hæc omnia magis patebunt exemplo. Si Doctor cum pertinacia assereret, usuram non esse peccatum, foret hæreticus: non vero italis esset mercator, qui amore pecuniae usuras exerceret: Doctor enim peccaret contra canonem fidei, quo definitur, usuram esse peccatum: mercator vero peccaret contra canonem morum, quo usura interdicitur. Perro contra disciplinam peccaret ignarus Parochus, qui publica usurarium ecclesiastica sepultura non privaret, nisi id ficeret ex malitia, nam Parochus nec fidei, nec morum canonom, sed canouem disciplinæ violat. Unde Doctor absolvi non posset, nisi hæresin retractoreret: mercator, nisi damnum temporale repararet: Parochus, nisi consulto prius Episcopo novisset, quomodo se in hoc casu gerere deberet.

int etiam a Canonum observantia excusat, cum ipsis deroget. Maxima vis consuetudinis cernitur in ritibus, hoc est, in ratione precum publicarum, in administratione Sacramentorum, observatione feriarum, jejuniorum &c. &c. Tutissimum quoque est, ut suum unaquaque Ecclesia morem sequatur, nisi quid habeat, quod doctrinæ universalis Ecclesiæ repugnet. Constanſ perseverantia, ac studium Ecclesiæ gallicanæ antiquas suas laudabiles consuetudines servandi est illud, quod vocatur libertas Ecclesiæ gallicanæ.

Jus civile est collectio earum legum, quibus diriguntur homines in Reipublicæ bonum. Et tot sunt genera juris civilis, quot sunt Rerumpublicarum conditiones. Pro resolvendis conscientiæ dubiis quam maxime conducunt leges civiles, & Statuta Principum: cum enim hujusmodi leges sint justæ, atque æquæ, videntur haud sine Dei nutu per Principes hominibus latæ, ut hi nosſent, quæ justa esſent, aut legitima, quæ vero iniqua. Item ejusmodi leges, præſertim in materia de *Justitia*, & *Jure* non exiguum lumen, ac pondus afferunt ad deciden- das quæſtiones occurrentes circa rerum dominia variis modis acquirenda, contractus multiplices, & varia hominum officia. Unde illud Juris canonici principium: *Sicut leges non dedignantur SS. Canones emitari, ita facrorum Statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur.*

In resolutione casuum moralium consulendi pariter fuit Canonum, & Legum periti, præſertim illi, quorum major est auctoritas.

Deci-

Decimus Moralis christianæ fons est naturalis ratio juxta illud I. 46. v. 8. *Redite prævaricatores ad eorū*, id est, naturalis ratio revocet peccatores ad conscientiam. Ratio enim naturalis homini a Deo data est ad veritatis agnitionem comparandam, cum sit divini ipsius luminis communificatio; quare valde utilis est in Christianæ moralis studio. Suppeditat ratio communia morum principia, cujusmodi ea sunt: *Bonum est faciendum: malum fugiendum.* Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Ex his variæ deducuntur conclusiones, quibus diversa declarantur officia, quæ exercere tenemur erga Deum, erga proximum, erga nosmetipsos. Id tamen notetur oportet, quod ratio naturalis versari debeat in theologicis non ut domina, sed ut famula, atque auctorati inservire tanquam pedissequa, ex principiis reuelatis conclusiones eliciendo, ac regulas exponendo, ad quarum normam ordinare, seu conformare debemus actiones nostras, ut bonæ sint, ac vitia ab iis arceantur.

## §. II.

### DE LOCORUM, SEU FONTIUM THEOLOGI-CORUM USU.

Prædicti Christianæ moralis fontes cum non sint aequalis ponderis, & auctoritatis, in iis adhibendis prudens cautio requiritur. Nimirum ubi quæstio moralis resolvi potest per expressam revelationem, standum est revelationi, quidquid in contrarium ratio huma-

humana suggerat, aut reclamet. Revelatio siquidem in se regulam certissimam morum continet, utpote quæ infallibili verbo Dei nititur, cum ex opposito humana ratio erroris periculo subjaceat.\* In Scripturis divinis homo appellatur mendax. *Rom. 3. v.*

4. Deus vero ita verax est, ut sit ipsa veritas, idcirco nec fallere, nec falli possit. Quodsi quæstio solvi nequeat per expressum sive scriptum, sive tradi-

\* Sola ratio impar est, seu ultimo fini, seu mediis ad eum ducentibus cognoscendis. Hunc humanæ rationis defensum perspicue produnt errata innumera, & mores corruptissimi gentilium Philosophorum. Quis enim nescit, ut de moralibus duntaxat erratis aliqua promam exempla, Platonicos uxorum communioni, ac mendaciis patrocinatos? Stoicos parilia judicasse omnia peccata, atque autochiriam, sive occisionem sui perquam dignam homine sapiente? Taceo de Epicureis, & reliquis. Transeo ad nostrorum temporum Protestanticos Doctores, qui pariter ex nimio naturalis rationis usu in enormes lapsi sunt errores, prout constat per legenti opera Hugonis Grotii, Puffendorfii, atque recentiorum scriptorum. Inter plurimos errores, quos in particularibus Juris, morumque materialiis fovent Protestantes, duo præsertim numerantur, qui sunt magnæ amplitudinis, & innumeræ humanæ vitæ actiones, si in praxi habeantur pro

norma, inficere possunt. Unus simulationes, falsiloquia, æquivocationes respicit, a quibus abesse putant formalem malitiam mendacii, quotiescumque nostræ, aut alienæ utilitati promovendæ inserviunt. Quod quam late pateat in tanta mentiendi proclivitate, & occasionibus fere continuis nemo non videt. Alter ad usuras refertur, quas pariter adeo pervagatas esse liquet, ut iis solum concludantur limitibus, quibus humanum, ac civile finitur commercium. Docent nimirum, ex mutuo licite, honesteque percipi posse a mutantibus lucrum aliquod moderatum, quoties christiane charitatis regula non obstat, nec Statuta municipalia Regionum vetant. Hi errores, & similes quam sint enormes, ex se patet. Sanius alii ex Protestantibus Doctoribus, uti Boëclerus, Fortschius asseruerunt, respiciendam, & consulendam esse identidem revelatæ Theologiae doctrinam a Christianis Tractatoribus seu Ethices, seu Jurisprudentiæ,

traditum Dei verbum , sed per necessariam demonstrationem ex principiis revelatis , standum est hujusmodi demonstrationi , non attendendo ad id , quod ratio humana passionum nebulis obsecata in contrarium suadeat. Propositio enim , quæ ex alia revelata necessario sequitur , irrefragabilis est auctoritatis.

Si autem quæstio moralis neque per expressum Dei verbum , neque per necessariam demonstrationem ex revelatis resolvi queat , tunc hi , quorum in Ecclesia est facultas docendi , & præcipiendi , sunt audiendi , simulque attendendum , quid super eam quæstionem definierint , eum hi ad divinam revelationem pro prius accedant , eosque Deus constituerit , ut genuinum Scripturæ , & Traditionis sensum exponant : ideo isti consulendi sunt , ubi manifesta non habetur revelatio . *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam , & legem requirent ex ore ejus.*

Ubi talis quæstio neque per revelationem expressam , neque per necessariam demonstrationem ex revelatis , neque per Superiorum Decreta solvi potest , consulendi sunt , qui antiquitate , doctrina , pietate sunt in Ecclesia excellentiores . Habent enim hi ab antiquitate , quod testes sint , ac custodes divinæ Traditionis : a doctrina , quod sint divinæ revelationis interpres : a pietate , quod ab humanis affectibus in exponendis morum regulis , eorumque difficultatibus dissolvendis immunes extiterint . Quod si circa morales difficultates Patres Patribus adver-

*R. P. Antonine. Tom. IV. ) ( X fantur ,*

sentur, Theologi insigniores alii alia tradant, celebriores Canonistæ diversa opinentur, tunc rationis est definire, "quid sit sequendum, quidve vitandum.\*

Ex his omnibus concludere licet, quod Theologia moralis sit ea facultas nobilissima, atque utilissima, quæ tum rectæ rationis dictamina, tum revelatæ præsertim Religionis Decreta ad omnem morum informationem, atque ad ultimi finis beatissimi affectuationem pertinentia sinu suo complectitur, atque artificiosa methodo jam diu in Scholas laudabiliter inducta proponit, ac declarat, cunctas suas positiones, quoad fieri potest, firmando aut effatis S. Scripturæ, aut ecclesiasticæ Traditionis, & confessionis monumentis, aut Conciliorum, & SS. Pontificium canonibus, aut veterum Patrum, & subsequentium Doctorum testimoniis, aut demum rationibus exinde deductis solida quadam argumentatione.

Recur-

\* In rationis usu magna cautio adhibetur, & quidem 1o. opus est, ut caveamus, ne rem secundum inclinationem prævorum nostrorum affectuum decidamus; quidquid enim placet, libenter amplectimur. 2do. Caveamus, ne a partium studiis, seu affectionibus abducamur. Ex hoc enim fit, ut quisque pro suscepitis five jure, five injuria semel partibus veritatem stare pertinaciter tueatur, eaque omnia, quæ contra sentiant aliarum partium Defensores, ut falsa rejiciat, & respuat. 3o. Medio, quantum fieri potest, inter laxiores, & rigidiores opiniones tramite incedamus. Etenim sicut fine culpa nec gravari potest dulce Christi jugum, ita nec via salutis amplior reddi potest, dum angusta in Evangelio designatur. 4o. Necesse est, ut in opinionum ambiguitate ei, quod proprius revelationi accedere deprehendimus, ac parti, quæ magis legi favere videbitur, religiose adhaeramus.

Recurrere ergo oportet ad locos istos theologicos ,  
seu ad communes hos fontes, atque ex istis, quisquis est  
veri nominis Theologus , solet , ac debet proba-  
tiones suorum Dogmatum elicere , ut potens sit exhor-  
tari in doctrina sana, & eos. qui contradicunt arguere, ad  
Tit. I. Hunc recursum ad præfatos locos cum non-  
nulli recentioris ætatis Scriptores catholici neglige-  
rent , atque in practica hac facultate tantum humanis  
rationibus velificarentur , & Scriptorum opinamen-  
tis inhærerent , non tam scientiam , quæ vera Theo-  
logia moralis sit, tradiderunt , sed meras adduxerunt  
opiniones. Hinc justo zelo excandescens Benedi-  
ctus XIV. in ep. encycl. 26. Jun. 1749. graviter que-  
stus est *de luxuriantium ingeniorum licentia, ac de mo-*  
*do opinandi in rebus ad conscientiam pertinentibus, alie-*  
*no omnino ab evangelica simplicitate, & Sanc*torum**  
*Patrum doctrina.*

Profecto quam absolum , simulque periculosum  
sit res Theologicas pertractare , conscientiæ contro-  
versias examinare , forum Poligubernare , utendo  
potius ratione , vel auctoritate humana , quam sa-  
cra divinarum literarum , atque ecclesiasticorum Pa-  
trum oracula consulendo , sat emphatice declarat S.  
Bonaventura *Præfat. in confess. cum, inquit, secun-*  
*dum B. Gregorium de cura pastorali sit ars artium*  
*regimen animarum, & occultiora sunt vulnera cogita-*  
*tionum, quam viscerum: horrendum profecto est vide-*  
*re quosdam Sacerdotes nostri temporis, qui facram Scri-*  
*pturam, in qua præfati regiminis ars sufficientissime*  
.

traditur, & *Jura canonica*, & *Scripta Doctorum*, in quibus plenissime declaratur, vel per torporem legere negligunt, vel per ignorantiam nesciunt, & tamen cordis Medicos in audiendis confessionibus se profiteri impudenter non metuunt. Ad hæc verba glossam apponit P. Christophorus a S. Josepho Carmelit. *Discal*, de reg. mor. p. 2. q. 2. a. 2. Hæc S. Bonaventura, qui cit Ecclesiæ lumen nobis ab ipsa Ecclesia proponitur. Si de solo sacerdote particulari sic loquitur, quid diceret de Scriptore, seu Doctor, qui pro animarum direttione universaliter scribit, & docet sine aliquo recursu ad doctrinam sacram, ut in plerisque Aucttoribus patet. Est ergo methodus hæc insalutatis ferme Scripturis, Patribusque morum doctrinam exponendi modus omnino vitiosus, major tamen pernicies, ac plane intoleranda versatur in eo, quod tum Scripturarum, tum Patrum testimonia fuerint quidem agnita, & producta sæpiissime a moralibus Tractatoribus, sed subinde ad eos sensus contorta, qui vel ipsis magis arridebant, vel probati erant amicis, quibus non affetu, & obsequio solum, sed doctrina quoque gratificandi, atque indulgendi cura erat præcipua. Tales Theologi, ait Albertus de Albertis *Præl. ad tr. de orn. mul. n. 1. SS. Scripturam*, & Patres ludibri, quam Religioni habere malunt, ne dicam, prodere. Hæc vero carnis prudentia est ipfissima illa, quæ in animarum judicio ferendo personas hominum intuetur, ac pro panis bucella veritatem deserit: --- at enim hæc inimica Deo, & mors est Apostolo.

Notent

Notent sibi singuli Sacerdotes hanc gravissimam Clementis XIII. Rom. Pont. in *Ep. encycl. ad univers.* Ep. 14. Sept. 1758. adhortationem istis verbis conceptam : *Ad puros, sanctosque mores accedit oportet digna ecclesiastico homine ab iis percepta doctrina. -- Sacrum utriusque foederis Codicem, Ecclesiae Traditiones, sanctorum que Patrum Scripta, velut fontes, adeant, unde pura, & incorrupta fidei, morumque doctrina profunditur.*

Ut autem moralis quisque Theologus haurire feliciter possit ex indicatis limpidis fontibus saniores morum regulas, quas Benedictus XIV. Clementis XIII. Praedecessor in *ep. encycl. sup. prepar. ad Jubil. 26. Jun. 1749.* vocat eas sententias, quibus magis suffragatur ratio, & auctoritas favet, omnino certa quadam methodo opus est, qua cogitationes, sermocinationes, atque exercitationes nostrae invicem rite disponantur ad assequendum hujusmodi finem. \*

)( 3

Præter

\* Theologi scholastici in ordinanda, & tradenda Theologiae morali usi sunt diversa methodo. Nonnulli casuum conscientie Summas per ordinem Aliabeti scripsérunt. Hæc methodus licet ad faciliorem rerum, aut materiarum inventionem apprime conductat, incipientibus tamen Theologiae morali primam návare operam foret minus utilis : id enim nec scientiam

ullam pareret, & in varias partes distraheret animos.

Attendentes alii, quod deinceps Præcepta Decalogi sint prima veluti principia Theologiae moralis, per ordinem ad ista illam distribuerunt. Fuerunt, qui simul de præceptis Decalogi, atque Ecclesiæ scripsérunt. Fuerunt, qui de his egerunt separatim.

Quidam considerantes, quod casus conscientie, de quibus

potissi-

Præter methodum vere theologicam præ oculis habendæ sunt legitimæ regulæ in Scripturis, Patribus, & Canonibus ecclesiasticis interpretandis, prout quædam *Dist. 29.* ex SS. Patribus adducuntur. \*

Perpendere quoque debet Theologus moralis monitum Benedicti XIV. de *Synod. Diœces.* l. 12. c. 7. n. 12. *Episcopus hoc studiose curabit, ut in prædictis collationibus moralibus eorum Theologorum sententia vincat, qui media via inter rigorem, & laxitatem incedere norunt.* Idipsum jam olim monuit Joannes Gersonius in *tratt. Regul. moral.* c. 1. *Ambulandum est in virtutum doctrina via regia, ut nec strictius fiat Dei mandatum, nec latius, quam ipse mandavit.*

Nimi-

potissimum agit Theologia moralis, seu *Practica christiana* nihil aliud sunt, quam variæ factorum species, de quibus in foro conscientiæ Judge Sacerdos sententiam dicit, ut vel honesta adprobet, vel ut tarpia condemnet, inde nunc sub titulo *Enchiridii*, nunc *Directorii*, nunc *Speculi*, nunc *Praxis*, nunc *Institutionis*, nunc *Instructionis* Sacerdotum, vel Confessoriorum suas casuum conscientiæ *Summas* ediderunt.

Plures secuti sunt ordinem, quem D. Thomas in sua *Summa 2. 2. & 3. p.* tenuit. Egit is primum de ultimo hominis fine, qui est Deus: dein de

bis, per quæ homo ad hunc finem pervenire, vel ab eo deviare potest: postmodum de regulis, & principiis tam intrinsecis, quam extrinsecis actuum humanorum, demum de Sacramentis, quibus homini conferuntur auxilia ad actiones rite informandas juxta regulas præscriptas. Hæc methodus tradendi Theologiam moralem cur cuidam displiceat, non video.

\* Ibi c. 1. *Pleraque Capitula (Juris Canonici) ex causa, persona, ex loco, ex tempore, consideranda sunt, quorum modi quia medullitus non indagantur, in erroris labyrinthum nonnulli intricando impin-*

Nimium rigorem, sicut nimiam laxitatem semper reiecerunt SS. Patres. Sic S. Ambrosius serm. 2. in Psalm. 118. scribit: *Sunt in nobis, qui habent timorem Dei, sed non secundum scientiam, statuentes duriora præcepta, quæ non potest humana conditio sustinere.* -- *Timor in eo est, quia videntur sibi consulere disciplinæ, opus virtutis exigere, sed inscitia in eo est, quia non compatiuntur naturæ, non cœlumant possibilitatem* S. Bonayentura expos. in c. 3. Joann. hæc habet: *Secundum Gregorium nullum omnipotenti Deo sacrificium tale est, quale zelus animarum: debet tamen Zelus esse regulatus recta scientia, ne contingat illud: cœmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.* Unde Bernardus, quo fervidior est zelus, eo magis scientia est necessaria. *Dilectio, & cognitio sunt necessarie cum zelo, illa, ne inflet: ista, ne erret.* S. Isidorus u. 3. de sum. Bon. c. 41. *cœstimatio prava arrogantium Sacerdotum, per quam imitantur Sanctos rigore disciplinæ, & sequi negligunt Charitatis affectione.* *Videri volunt rigida sæveritate, sed formam humilitatis præstare nequeunt, ut magis terribiles, quam mites aspiciantur, superbi Doctores vulnerare potius, quam emendare noverunt,* Salomone testante: in ore ful-

ti

---


impinguntur, cum ante judicant, quam intelligant, ante inculpant, quam iterando lesta perquirant. 2do. c. 2. Ex S. Gregorio M. Regulæ SS. Patrum pro tempore, loco, & persona, & negotio instanti ne-

cessitate traditæ sunt. 3o. Can. 3. Ex S. Hieronymo: SS. Scripturæ juxta diversitates locorum, temporum, & hominum, quibus scriptæ sunt, diversas & caussas, & argumenta, & origines habent.

*ti virga superbiae, quia increpando rigide faciunt,  
& compati humiliter nesciunt.*

Faxit Deus, ut in amicam concordiam cœuntes universi Theologi morales sapienter simul, & moderate sentiant juxta normam a SS. Patribus traditam, atque observent illud, quod eos S. Bonaventura monuit: *Nihil, quam quod institutum est, secundum divinam legem edoceant, nec addendo, nec auferendo, unicuique præcipiant secundum posse suum, non apponant gravia infirmis, sed infirmis benigni mitigent sarcinam.* Ecquidem non quantum volunt pro privato suo inge-  
nio, aut affectu, sed quantum possunt rationabiliter nempe, ac prudenter, quippe ex Cœlestino I. Papa in ep. ad Ep. Illir. *Dominari nobis debent regulæ, non nos regulis dominari.*





## TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007



## TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007